סחרה אמתו

THESES

CONTRA JUDÆOS
DE
LXX. HEBDOMADIS

PROPOSITÆ

A PP. Societatis Jesu
In Collegio Romano.

ROMÆ MDCCXX.
Apud Jo: Mariam Salvioni Typographum Vaticanum
Superiorum permissu.

Digitized by Google

THESES
CONTRA JUDÆOS
DE
LXX. HEBDOMADIS.

1. AUthor diſſertationis, quæ inſcribitur, *Liber LXX. Hebdomadum reſignatus*, prodiit autem Romæ anno 1714. initium Hebdomadum affigit anno Artaxerxis Longimani ſeptimo, ante Chriſtum 457. Quòd & chronologia, & decretum de iterum ædificanda Jeruſalem, proprius initii hujus character, eo cum anno congruat. Chronologia quidem, eò quòd ab anno Longimani ſeptimo, ante Chriſtum 457. ad Chriſti mortem, ideſt, ad annum Æræ communis 29. (quo anno Chriſtum cruci affixum Author oſtendit in *Diſſertatione de anno, menſe, & die mortis Chriſti*, Romæ edita anno 1718.) anni numerentur 486., ideſt, Hebdomades fere 70. Hebdomadas autem 70. circa mortem Chriſti finem accipere, ex illis erua-

tur Angeli verbis: *Et poſt Hebdomadas ſexaginta duas*, (ideſt, poſt Hebdomadas ſexaginta novem, ut ex Hebraico textu; & intra ſeptuageſimam, ut ex contextu colligitur) *occidetur Chriſtus*. Decretum verò de iterum ædificanda Jeruſalem, eò quòd verba illa prophetica: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*, ſive: *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum Jeruſalem*, ut ſonant voces Hebraicæ, מן מצא דבר להשיב ולבנות ירושלם, min motsà dabàr lehaſcib, velibnòth Jeruſcalaim, ſeptimum Artaxerxis annum indigitent. In eum enim annum conjicit Scriptura 1. Eſd. 7. Artaxerxis decretum, Eſdræ ipſius precibus impetratum, per quod ab eodem rege poteſtas Judæis facta eſt *redeundi*, & *Jeruſalem ædificandi*. Redeundi quidem, dum ait v. 13. *A me decretum eſt, ut cuicumque placuerit in regno meo de populo Iſrael, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis, ire in Jeruſalem, tecum vadat*. Jeruſalem verò ædificandi, ideſt, Hebraicam Remp., reſtitutis civibus, & legibus, reſtituendi, dum ſubdit: *A facie enim regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam, & Jeruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua*. Et infra v. 25. *Tu*

autem,

Digitized by Google

autem, *Eſdra*, *ſecundùm ſapientiam Dei tui*, *quæ eſt in manu tua*, *conſtitue judices*, *&* *præſides*, *ut judicent omni populo*. Hoc porro decretum Eſdræ precibus impetratum, conſtat ex illis verbis ejuſdem capitis ſeptimi v.6. *Et dedit ei* (Eſdræ) *rex ſecundùm manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus*.

2. Hanc ſententiam improbat Anonymus in libro, qui inſcribitur, *Tabula chronologiæ ſacræ veteris, ac novi Teſtamenti*, edito Pariſiis. Sic enim ait diſſert. 16. Vir eruditus cum primis, & de literaria Rep. optimè meritus. *Qui ſeptimo Artaxerxis anno Hebdomadas incboant, vix, ac ne vix quidem oſtendunt, decretum Artaxerxis, eo anno datum, ad urbis ædificationem pertinere. Cui nodo diſſolvendo multum ingenii, multum eruditionis impendit Ayrolus noſter in diſſertatione, quam huic volumini inſertam volui: nil intentatum reliquit. Sed nodum verè Gordium, verè inſolubilem diſſecuit, non diſſolvit*.

3. Suam porro ſententiam ut aſtruat, & nodum diſſolvat, ſtatuit primò, verba illa: *Ab exitu ſermonis*, rei complementum, & perfectionem ſignificare. *Vox Hebraica*, inquit, *ſignificat* à perfecto, à completo

Digitized by Google

pleto ſermone *de readificanda urbe*. *Falluntur itaque, qui ſeptuaginta Hebdomadum initium aliunde ducunt, quàm à perfecto muro Jeruſalem. Quippe tunc ſolùm effectum habuit ſermo ſive Dei, ſive regis Perſarum de Jeruſalem readificanda*. Statuit ſecundò, Artaxerxem à Xerxe patre in regni ſocietatem aſcitum fuiſſe: atque adeò duplicem Epocham, ſive duplex habuiſſe initium regnandi. Ab aſſociatione alterum, alterum à morte Xerxis. Quare cum duæ de Hebdomadum initio probabiliores cæteris habeantur ſententiæ, quarum prima à 7., à 20. altera Artaxerxis anno Hebdomadas orditur; priorem chronologiæ deducendæ facilitate, poſteriorem aptitudine ad prophetiam explicandam commendari affirmat: commoda autem utriuſque illos conjungere, qui annum ſeptimum Artaxerxis eundem eſſe ſupponunt cum vigeſimo ejuſdem principis cum patre regnantis: tum ſubdit: *Porro hanc ſententiam, profanæ hiſtoriæ monumentis ſtabilitam, novo, & mihi proprio argumento, ex ſacra hiſtoria deſumpto, confirmare aggredior, &, niſi fallor, demonſtrare*.

4. Præcipuum hiſtoriæ profanæ monumentum ad ſuam hanc opinionem con-

firman-

firmandam ex lege Perſarum deſumit, qua cautum ait, ut rex, antequam è Perſide diſcederet, regni conſortem, & hæredem deſignaret. Xerxem proinde bellum adverſus Græcos moventem debuiſſe, antequam in Europam tranſiret, collegam imperii unum è filiis eligere. Artaxerxem verò electum fuiſſe, idque certum eſſe, cum patri ſucceſſerit, licet natu minor: eamque electionem in annum Xerxis ſeptimum incidiſſe. Quare cùm Xerxes annos 20. regnum tenuerit; Artaxerxem annos 13. una cum patre regnaſſe, & annum ipſius ſeptimum à morte Xerxis, ab aſſociatione non eſſe ſeptimum, ſed vigeſimum.

5. His ita conſtitutis, ut novum & proprium, ex ſacra hiſtoria deſumptum proferat argumentum, allegat Nicolaum Abramum, qui in *Pharo veteris Teſtamenti libro* 15. §. 20. duplici Artaxerxis Epocha præſuppoſita, de duplici ejuſdem regis anno paulò aliter ſtatuit. Vult enim vigeſimum eſſe priorem ſeptimo, eò quôd vigeſimus à ſexto Xerxis anno, ſeptimus verò ab obitu Xerxis numerandus ſit. Eamque ut ſententiam tueatur contendit, Nehemiam priuſquam Eſdram in Judæam veniſſe. Quam opinionem aliàs Author expendit,

pendit, & in *Appendice ad librum de 70. Hebdomadis* confutavit. Tum verò ſuum de hâc Abrami opinione judicium ferens; *Ad veritatem*, inquit, *propiùs acceſſiſſe Abramum fateor, ſed acceſſiſſe tantùm, non illâ potitum. Simul Nehemias Eſdraſque in Judæam venerunt, quod credi ut obtineam, primò expendam Abrami probationes, deinde meas proferam.* Abramus locò memorato, ut quod aſſumpſit conficiat, ſex adhibet probationes, quarum priores tres refellit Anonymus, in rem ſuam trahere nititur poſteriores. Harum prima ex eo deſumitur, quod habetur 2. Eſd. 1. ubi Nehemias interrogat Hanani, & ſocios, qui recens è Terra Iſrael in Perſidem venerant; *De Judæis, qui remanſerant & ſupererant de captivitate & Jeruſalem*, atque interrogati reſpondent: *Qui remanſerunt, & relicti ſunt de captivitate ibi in Provincia, in afflictione magna ſunt, & in opprobrio, & murus Jeruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni.* Ex hac enim Judæorum preſſura, quam in annum Artaxerxis vigeſimum Scriptura confert, Nehemiam priùs quàm Eſdram veniſſe in Judæam colligit Abramus: aliàs *Fingenda eſt ratio*, inquit; *cur Eſdras de repente gratiam illam, & au-*

& authoritatem, qua, non ſolùm apud regem, ſed etiam apud conſiliarios, ſatrapas, omnes denique ordines (ab anno Artaxerxis ſeptimo, ut 1. Eſd. 7. narrat Scriptura) *hactenus floruerat, ante Nehemiæ adventum amiſerit.* Anonymus argumentum admittit, ſed negat inde confici, Nehemiam prius veniſſe, quàm Eſdram. *Verum eſt*, inquit, *antequam Nehemias veniret, populum afflictum, fuiſſe Eſdræ adventu exaltatum: adverſus hoſtium injurias munitum. An inde ſequitur neceſſariò, Nehemiam prius veniſſe, Eſdram poſterius? Neutiquam certè. Venerint ſimul: verum erit, populum, antequam venirent, ab hoſtibus oppreſſum, ab ipſis liberatum.*

6. Probatio altera ſic proponitur ab Abramo. Cum primum Eſdras in Judæam acceſſit, ei nuntiatum eſt [ut dicitur 1. Eſd. 9.] de non paucis tum ſacerdotibus, tum principibus populi, qui cum alienigenis matrimonia conjunxerant. Is continuò, ſciſſis veſtibus, in genua provolutus admiſſum, ſervitutis tempore, facinus deteſtatur, eique beneficia opponit, tempore eodem, in immerentem populum à Deo collata. *In ſervitute*, inquit eodem 9. capite v. 9. *non dereliquit nos Deus noſter,*

ſter, ſed inclinavit ſuper nos miſericordiam coram rege Perſarum, ut daret nobis vitam, & ſublimaret domum Dei noſtri, & extrueret ſolitudines ejus, & daret nobis ſepem in Juda, & in Jeruſalem. Jam verò poſtrema hæc verba: *Et daret nobis ſepem*: expendens Abramus; *Quid eſt ſepem dare*, inquit, *niſi muro circumdare? Per quem verò rex Perſarum Jeruſalem muro circumdedit, niſi per Nehemiam? Jam ergo venerat Nehemias, cum Eſdras iſta loqueretur.* Anonymus autem, *Manifeſtè*, inquit, *Eſdras muri refecti meminit cap. 9. v. 9. Inde concludit Abramus, prius Nehemiam veniſſe: concludo ego, veniſſe utrumque ſimul, & mea concluſio textui magis congruit.*

7. Tertiò, *Si ante Nehemiam, ut vulgo creditur, annis 13.* [pergit Abramus] *Eſdras in Judæam acceſſerat, & quidem miſſus ab Artaxerxe, ut viſitaret Judæam, & Jeruſalem in lege Dei ſui; qui factum eſt, ut nefarias illas nuptias, cum alienigenis contractas, quæ ipſius authoritate diſſilierant, de integro coire, ac tenuiores à potentioribus fœnore trucidari, agros, vineas, & domos opponere, liberos denique ſuos in nexum, & ſervitutem addicere pateretur?* Alludit Abramus primò quidem ad caput Nehe-

miæ 13. v. 23. ubi ſic habetur: *Sed in diebus illis* [ideſt, anno 20., vel certè poſt eum annum] *vidi Judæos ducentes uxores Azotidas, Ammonitidas, & Moabitidas.* Deinde ad caput 5. *Et factus eſt*, inquit Scriptura v. 1. & ſequentibus, *clamor populi, & uxorum ejus magnus adverſus fratres ſuos Judæos* [fœneratores nimirum] *& erant qui dicerent filii noſtri, & filiæ multæ ſunt nimis: accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & vivamus. Et erant qui dicerent: agros noſtros, & vineas, & domos noſtras opponamus, & accipiamus, frumentum in fame &c. Et increpavi* [inquit Nehemias v. 3.] *optimates, & magiſtratus, & dixi: uſuras ne ſinguli à fratribus veſtris exigitis?* Anonymus verò: *Incredibile eſt fateor*, inquit, *Eſdram, ſi prius veniſſet, abuſus non ſuſtuliſſe. An credibilius eſt, à Nehemia, ſi prius veniſſet, abuſus non ſublatos? Itaque eos ſimul veniſſe inde certum ſit, quod in republica Hebraica multa corrigenda repererint.* Ponit deinde exemplũ rei corrigendæ in feſto Tabernaculorum, cujus celebrandi præceptum, cum Nehemias in Judæam venit, ignotum Judæis fuiſſe arguit ex eo, quòd cum liber Legis ab Eſdra, coram multitudine, legere-
 tur

tur [ut habes 2. Eſd. 8.] dicit Scriptura v. 14. quod, *Invenerunt ſcriptum in lege, præcepiſſe Dominum, in manu Moyſi, ut habitent filii Iſrael in tabernaculis, in die ſolemni, menſe ſeptimo*. Eſdram porro annis 13. tam ſupinam præcepti gravis oblivionem neſciſſe, vel diſſimulaſſe, nec correxiſſe, dicendum non eſſe. Itaque rurſus confici, Nehemiam ſimul cum Eſdra in Judæam veniſſe.

8. Denique, *Nihil dubii remanebit*, inquit, *etiam difficulter credentibus, ſi ex libro primo, & ſecundo Eſdræ, illius, & Nehemiæ diſceſſus, itineris, adventus dies, & circumſtantias, & utriuſque res geſtas invicem conferamus*.

9. Hactenus Vir eruditus: cui ſanè par eſt Authorem, pro tenuitate ac modulo ſuo [non quidem contradicendi libidine, quod abſit, ſed tuendæ veritatis ſtudio] reſpondere. Præſertim cum Vaticinium agatur præſtantiſſimum, necnon ad Judaicam perfidiam retundendam, fidemque Orthodoxam confirmandam, validiſſimum. Itaque dum ait, quod *Qui à ſeptimo Artaxerxis anno Hebdomadas inchoant, vix, ac ne vix quidem oſtendunt, decretum Artaxerxis, eo anno datum, ad urbis ædificatio-*

nem

Digitized by Google

nem pertinere; in primis videat, ne, dum iis adverſatur, qui Hebdomadas inchoant ab anno ſeptimo, ſibi ipſe adverſetur, qui ſeptimum, & vigeſimum annum eundem facit. Videat ſecundò, ne *Urbem à Civitate* non ſatis diſtinguat. Quæ tamen diligenter ſunt diſtinguenda: eſt enim Urbs *Oppidum muro cinctum*, *Civitas* verò, [1] *Cœtus hominum jure ſociatus*. Decretum autem Artaxerxis, conditum anno 7. etſi ad Urbis ædificationem directè & immediatè non facit; facit tamen ad ædificationem Civitatis, & ad reſtitutionem Reip. atque adeò facit ad initium Hebdomadum, verbis illis, *Ab exitu ſermonis ut iterum ædificetur Jeruſalem*, ab angelo indigitatum; ubi nomine *Jeruſalem* directè, & immediatè Civitatem, & Remp. non Urbem intelligi, in *libro de* 70. *Hebdomadis* à capite 10. ad 15. latè Author oſtendit. Quæ quidem capita, aliis curis diſtractus, vel non legiſſe omnino, vel feſtinanter legiſſe Anonymus videtur. Quia tamen in hac propoſitione vertitur cardo rei; operæ pretium eſt, illam, ex ibi dictis, iterum ſic oſtendere. Prophetia de 70. Hebdomadis reſponſum continet, quod Angelus

[1] *Cic. in Somnio Scipionis*.

lus Danieli oranti, atque interroganti reddidit: reſponſum autem Dei annuentis. Nam Danielis preces fuiſſe exauditas ſignificant illa ejuſdem Angeli verba v. 23. *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo, ego autem veni, ut indicarem tibi*. Quæ verba Hieronymus ſic exponit: *Ut rogare cæpiſti, ſtatim impetraſti miſericordiam Dei, & egreſſa eſt ſententia. Et ego idcirco miſſus ſum, ut exponerem tibi quæ ignoras*. Ut ergo de vi, atque ſenſu reſponſi conſtet, orationis, & interrogationis ſenſum, ac vim expendere neceſſe eſt. Porro Danielis oratio, quæ partem maximam noni capitis ſibi vindicat, ſi rite expendatur, majus aliquid, quàm urbis, ideſt, muri, & plateæ reparationem ſpectare intelligetur. Præſertim cum muri, & plateæ nuſquam in ea meminiſſe Propheta reperiatur. *Obſecro*, inquit, v. 4. *Domine Deus magne, & terribilis, cuſtodiens pactum, & miſericordiam diligentibus te, & cuſtodientibus mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus, & receſſimus, & declinavimus à mandatis tuis, ac judiciis. Non obedivimus ſervis tuis prophetis &c.* v. 7. *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei, ſicut eſt hodie, viro Juda, & habitatoribus*

Jeru-

Jeruſalem, & omni Iſrael, his qui prope ſunt, & his qui procul, in univerſis terris, ad quas ejeciſti eos, propter iniquitates eorum, in quibus peccaverunt in te. v. 11. *Et omnis Iſrael prævaricati ſunt legem tuam, & declinaverunt, ne audirent vocem tuam &c.* Noverat nimirum Propheta, Babylonicæ illius calamitatis [qua tunc ipſe, una cum cæteris, tenebatur] peccata populi cauſam fuiſſe: idcirco in eo totus eſt, ut ſua, & populi peccata confiteatur, eorumque veniam à Deo exoret. Tum captivitatem ipſam deprecari incipiens: *Avertatur obſecro ira tua*, inquit, *& furor tuus à Civitate tua Jeruſalem*. Ut autem appareat, quid nomine Jeruſalem intelligat, ſubdit. *Jeruſalem enim, & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum*. Ecce Jeruſalem non ſaxa, & ædificia Civitatis, non plateam & muros propheta intelligit, ſed *Populum*. Populus enim, non ſaxa & ædificia Civitatis erant in opprobrium omnibus per circuitum. Licet plateam, & muros minimè excludat. v. 17. *Oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod deſertum eſt*. v. 18. *Aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & civitatem, ſuper quam invocatum eſt nomen tuum*. Tria ergo Pro-

Propheta deprecatur, ideſt, opprobrium Populi, ſolitudinem Sanctuarii, deſolationem Civitatis. Tria hæc mala ceſſant, redeunte populo,& reſtituta rep.ac πολιτεία: reditum ergo populi, & reip. reſtitutionem propheta poſtulat. Muri autem & plateæ expreſsè non meminit: vel quia id, in re, de qua agitur, minus erat præcipuum: vel certè quia muri & plateæ inſtauratio ad reditum populi conſequens erat.

10. Cum ergo remiſſionem Iniquitatis, relaxationem Captivitatis propheta poſtulet; poſtulationem autem exauditam conſtet; remiſſio Iniquitatis, relaxatio Captivitatis angeli reſponſo contineri, atque ſponderi dicenda eſt. Et ſi quis aliter reſponſum interpretetur, is à vero ipſius ſenſu aberrare cenſendus eſt. Reſpondentem itaque angelum audiamus: *Septuaginta hebdomades*, inquit, *abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam* [Hebraicè ועל עיר קדשך vehal hir Kodſcècha, ſuper urbem ſanctitatis, ſive ſanctuarii tuam.] Ecce Populum, Civitatem, & Sanctuarium, tria, pro quibus oraverat Daniel, Danieli Gabriel reponit, pariterque ſignificat, eum in omnibus exoraſſe. *Ut conſummetur prævaricatio* [pergit

Digitized by Google

git Gabriel] *& finem accipiat peccatum*, *& deleatur iniquitas*, *& adducatur juſtitia ſempiterna*, *& impleatur viſio & prophetia*, *& ungatur Sanctus Sanctorum*. Ecce iniquitatis remiſſio, per Meſſiam afferenda, quod in prophetæ votis erat præcipuum. Quia verò potuiſſet Daniel ſciſcitari tempus, à quo Hebdomades 70. bonum tam grande allaturæ populo Dei, eſſent inchoandæ; Gabriel interrogationem prævertens ſubdit: *Scito ergo*, *& animadverte*: *Ab exitu ſermonis*, *ad redire faciendum & ædificandum Jeruſalem*, *uſque ad Chriſtum Ducem Hebdomades ſeptem*, *& Hebdomades ſexagintaduæ erunt*, *& rurſum ædificabitur*, vel [juxta Originarium Textum] תשוב ונבנתה taſcùb, venibnetà, *redibit*, *& ædificabitur platea*, *& muri in anguſtia temporum*. Qui ſolam Urbis, ideſt, plateæ & muri ædificationem hîc ſignificari ab angelo dicit; quid aliud dicit, quàm Danielem, qui Populi opprobrium, ſolitudinem Sanctuarii, deſolationem Civitatis deprecabatur, non fuiſſe exauditum? Quod Scripturæ adverſatur, quæ dicit: *Ab exordio precum tuarum egreſſus eſt ſermo*, ideſt, *impetraſti miſericordiam*, ut exponit Hieronymus. Dicendum eſt itaque his verbis

 ini-

initium Hebdomadarum deſignari ab angelo, pariterque Babylonicæ captivitati modum præfigi: quaſi dicat: Populus tuus, pro quo rogas, ò Daniel, ſedibus propriis, & Civitas, pro qua ſolicitus es, dignitati priſtinæ reſtituetur: eamque reſtitutionem muri pariter & plateæ inſtauratio, quantumvis minimè expreſſa tuis precibus, conſequetur. Ab illius autem reſtitutionis articulo ſeptuaginta Hebdomades, in remiſſionem iniquitatis, per Chriſtum afferendam, definitæ exordium ſument. Aderit enim Chriſtus, & Ducem ſe præbebit Hebdomada ſexageſima nona.

11. Quod autem angelus dicit: *Et rurſum ædificabitur platea, & muri*: non eſt credendum, [ut quidam autumant] eſſe ſynonymum ejus, quod dixerat: *Ut iterum ædificetur Jeruſalem*: cum id contextui, & propheticæ petitioni, ut oſtendimus, adverſetur: ſed dicendum eſt potius, ædificationem plateæ, & muri allegari ab angelo tanquam effectum, ſeu ſignum Civitatis, ac Reip. reſtitutæ: atque hoc ſigno eam reſtitutionem, futuram ſtatuto tempore, confirmari per eam ſpeciem Metonymiæ, qua ſignum, ſive effectus pro cauſa in Scripturis paſſim ſubſtituitur. Sic

Baby-

Babylon à Perſis evertenda deſcribitur Iſaiæ 13. *Et erit Babylon illa glorioſa in regnis, inclyta ſuperbia Chaldæorum, ſicut ſubvertit Dominus Sodomam, & Gomorrham &c. Nec ponet ibi tentoria Arabs, nec paſtores requieſcent ibi, ſed requieſcent ibi beſtiæ, & replebuntur domus eorum draconibus*. Similiter Jeruſalem, evertenda per Chaldæos, deſignatur Jer. 25. *Ecce ego mittam, & aſſumam univerſas cognationes aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor regem Babylonis ſervum meum, & adducam eos ſuper terram iſtam &c. Perdam ex eis,* [ideſt, ex Judæis] *vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ, vocem molæ, & lumen lucernæ.* Et Thren. 5. 18. *Contenebrati ſunt oculi noſtri, propter montem Sion, quia diſperiit: vulpes ambulaverunt in eo*. Non ergo Urbis ſolius, ſed Civitatis, & Reip. reſtitutionem angelus ſpectat dum ait: *Ut iterum ædificetur Jeruſalem*. Sed fac eum, ſolius Urbis reſtitutionem ſpectare: nunquid propterea ab anno vigeſimo, quo anno murus Jeruſalem à Nehemia eſt ædificatus, initium Hebdomadum erit deſumendum? Minimè verò. Nam initium Hebdomadum [ut in *libro de Hebd. cap.* 30. Author advertit]

non ab ædificatione Jeruſalem, ſed ab egreſſu decreti de Jeruſalem ædificanda: ſive *ab emanatione* decreti, non verò *ab executione* deſumendum eſt. Angelus enim non dixit, *Ab ædificatione Jeruſalem*, ſed *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem &c. hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt*. Porro *exitum ſermonis*, non *complementum* ſermonis, ut contendit Anonymus, ſed *egreſſum*, ſive *promulgationem* ſignificare infra oſtenditur.

12. At quare ab anno ſeptimo Artaxerxis, poſt ſolutam à Cyro Babylonicam captivitatem octogeſimo, Hebdomadas angelus orditur? Idcirco nimirum, quia illas ab Autonomia, & Judaica Republica reſtituta, tanquam ab Epocha nobiliſſima, ordiri voluit. Eſt autem Autonomia *Libertas vivendi ſuis legibus*. Conſtat enim multas civitates, ut Cardinalis Noriſius [1] advertit, ab Autonomia recuperata novam Epocham fuiſſe auſpicatas. Judaicam autem Remp. nonniſi ab anno Artaxerxis ſeptimo, per Autonomiam, fuiſſe reſtitutam; & ex ſupracitato ejuſdem regis decreto conſtat, & Author in libro *de Hebdomadis cap.* 29. latiùs expendit. Ex quo illud

[1] *In Epochis Syromaced. diſſert. 3. cap. 3.*

illud etiam conſequens eſt, ut annis 59. poſt reſtaurationem templi, quod abſolutum eſt anno Darii ſexto, ante Chriſtum 516. Hebdomadas angelus inchoaverit. Qui tamen templi etiam reſtituti meminit infra, dum ait: *Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo*. Templum enim, ſive Sanctuarium, niſi reſtitutum, diſſipari planè non poteſt. Ut nulla ex parte orationem propheticam fruſtra fuiſſe ſignificet. Qua in re Divinæ providentiæ conſilium emicat, quo factum eſt, ut qua ratione revelatio Hebdomadum conſecuta eſt Dei decretum, Danielis precibus impetratum; eadem ratione earundem inceptio decretum regis Perſarum, Eſdræ precibus impetratum, conſequeretur. Et quemadmodum decreto Dei, quidquid petierat, Danieli conceſſum eſt; ſimiliter decreto regis Perſarum quidquid petierat, Eſdræ concederetur. *Ab exordio precum tuarum*, inquit Dan. 9. 23. *egreſſus eſt ſermo. Dedit ei rex*, inquit 1. Eſd. 7. 6. *ſecundùm manum Domini Dei ejus ſuper eum, omnem petitionem ejus*. Ex quibus ſic concluditur. Angelus à decreto de iterum ædificanda Jeruſalem, atque adeo de reſtituenda Judaica Republica initium Hebdoma-

Digitized by Google

domadum deſumendum ſtatuit. Atqui decretum Artaxerxis, editum anno ſeptimo, ædificationem hujuſmodi, atque reſtitutionem mandat. Ab hoc igitur anni 7. decreto initium Hebdomadum deſumendum eſt.

13 At Judaicam Remp. (dicet aliquis) ante Artaxerxem reſtituit Cyrus. Reſpondemus decretum Cyri (quod quidem tum ex chronologia, tum ex prophetico Textu, rejecit Author *cap.* 18.) duo permittere Judaico populo: primò ut aſcendat in Jeruſalem, ſecundò ut ædificet domum Domini. *Quis eſt in vobis*, (inquit Cyrus 1. Eſd. 1.) *de univerſo populo ejus? Sit Deus illius cum ipſo. Aſcendat in Jeruſalem, quæ eſt in Judæa, & ædificet domum Domini Dei Iſrael*. Alterum continet ſolutionem captivitatis, alterum facultatem reædificandi templi. De reædificanda Jeruſalem, & reſtituenda Republica ne verbum quidem. Itaque templi ædificium in regno Cambyſis intermiſſum, cum repeterent Judæi in regno Darii Hyſtaſpis, & à Thathanai, qui erat dux regionis trans flumen, ædificare prohiberentur, pro ſe allegarunt Cyri decretum: *Cyrus rex* (inquiunt 1. Eſd. 5. 13.) *propoſuit decretum, ut domus Dei hæc ædificaretur*. Decretum autem, juſſu Darii, quæ-

ſitum,

ſitum, *Inventum eſt in Ecbatanis*, ut dicitur 1. Eſd. 6. 2. Quare ædificantes pergere permiſſi ſunt. At nullum Cyri decretum pro ſe allegarunt, cùm ab urbe ædificanda, ut dicitur 1. Eſd. 4. prohiberentur. Quod profectò feciſſent, ſi decreto Cyri facultatem ædificandæ Jeruſalem contineri intellexiſſent. Quod ſi quis conjectando adjiciat, credibile eſſe Cyrum Judæis, quos à captivitate liberaverat, poteſtatem ſimiliter feciſſe vivendi ſuis legibus; atque adeo Autonomiam dediſſe. Reſpondemus, id minimè conſequens eſſe: neque enim libertatem conſequitur Autonomia. Cùm fieri poſſet, ut à captivitate ſoluti Judæi jure Perſico cenſerentur. Quemadmodum civitates, quas ab Autonomia recuperata novam Epocham fuiſſe auſpicatas ſuperius diximus; ante illam, Romanorum, quibus parebant, jure cenſebantur. Verùm demus, Autonomiam tacitè Cyrum Judæis permiſiſſe; aliud profectò eſt permittente, aliud jubente Principe, atque adeo ex ipſius decreto, Autonomiam recipere. Eſdras proinde, quippe qui probè intelligeret, Autonomiam, decreto Principis minimè confirmatam, vel parum tutam eſſe, vel nullam, ab Artaxerxe per decretum il-

lam

lam ſanciri curavit. Hoc igitur decretum, quod ad Autonomiam ſtatuendam, & reſtituendam Remp. Eſdras neceſſarium duxit, reſpexiſſe dicendus eſt angelus, cum ait: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*. Quod verò in Artaxerxis decreto plateæ & muri nulla fiat mentio, nos movere non debet: cùm Author oſtenderit *in libro de 70. Hebdomadis à capite* 20. ad 26. facultatem plateæ & muri ædificandi nec fuiſſe poſtulandam ab Eſdra, nec in decreto exprimendam ab Artaxerxe: quippe quæ in reſtitutione Reipublicæ, decreto illo permiſſa, ſatis ſuperque contineretur. Ad hæc, quid à rege poſtularet Eſdras, quod à Deo non poſtulaverat Daniel? Cum tamen vota utriuſque idem ſpectarent, id eſt ſolutionem Captivitatis, & reſtitutionem Reipublicæ.

14 Dum ait, *nodum verè Gordium, verè inſolubilem diſſecuiſſe Authorem, non diſſolviſſe*; primò quidem Author Anonymo minimè iraſcitur: quid enim, ſi non diſſolverit indiſſolubile? Deinde gratias habet, & ſanè vel maximas. Cùm enim diſſecari, niſi quoquo modo diſſolvatur, minimè nodus poſſit; dum indiſſolubilis nodi diſſectionem Authori attribuit; conſequenter

ali-

aliquam nodi ejuſdem illi tribuit ſolutionem: violentam nimirum: nodum enim diſſecare, eſt nodum ſolvere gladio adhibito. Tertiò conſequenter Author interrogat eruditum virum, in quo tandem ſita ſit violentia, quam inſolubili nodo, ideſt, prophetico Oraculo adhibet, dum illud diſſecat? Nunquid violentia ſita eſt in eo, quòd Hebraicum Textum ad nodum ſolvendum adhibet; & pro eo, quod legit vulgatus Interpres: *Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem*; ex Hebraico Codice legit ipſe, *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum, & ædificandum Jeruſalem*? At ad Hebraicos, & Græcos fontes, in ſacrorum librorum expoſitione, recurrendum eſſe, inſtar Axiomatis habetur apud Interpretes: quod quidem Axioma eruitur ex Auguſtino lib. 2. de Doctrina Chriſtiana cap. 10. & ex Hieronymo in Epiſtola ad Suniam, & Fretelam. Et Auguſtinus quidem ſic habet: *Latinæ linguæ homines, quos inſtruendos ſuſcepimus, duabus aliis ad Scripturarum Divinarum cognitionem habent opus, Hebræa ſcilicet, & Græca: ut ad exemplaria præcedentia recurratur, ſi quam dubitationem attulerit Latinorum interpretum infinita varietas*. Hieronymus verò, *Sicut*

in novo Teſtamento, inquit, *ſi quando apud Latinos quæſtio exoritur, & eſt inter exemplaria varietas, recurrimus ad fontem Græci ſermonis, quo novum ſcriptum eſt inſtrumentum: ita in veteri teſtamento, ſi quando inter Græcos, Latinoſque diverſitas eſt, ad Hebraicam recurrimus veritatem, ut quidquid de fonte proficiſcitur, hoc quæramus in rivulis.*

15. Nunquid in eo violentia ſita eſt, quod Jeruſalem ædificare idem eſſe ait, ac Judaicam Remp. reſtitutis civibus, ac legibus reſtituere? At phraſim hujuſmodi in Scripturis frequentiſſimam eſſe, & ſtatim Author oſtendet, & nemo, vel mediocriter ſacris literis eruditus, ignorat. Nam verbum בנה banà, unde vox illa לבנות libnoth, *Ut ædificetur*, deſcendit, duplicem habet ſenſum in lingua Sancta. Primò ſignificat idem, quod apud Latinos *ædificare*, ideſt, *ædes facere ad habitandum*, *jacere fundamenta, parietes excitare*, & cætera id genus. Secundò ſignificat *gignere liberos, ſobolem procreare*, *familiam condere*, *atque amplificare*; id quod nullo modo ſignificat verbum *ædifico* in lingua Latina. Itaque Sara Gen. 16. 2. ad Abrahamum virum ſuum dicit: בא נא אל שפחתי אולי אבנה ממנה :

Bo

Digitized by Google

Bo na el Siphchatì, ulai ibbanè mimmènna: *Ingredere quaſo ad ancillam meam, ſi forte ædificer ex illa*, ideſt, *ſi forte ſuſcipiam ex illa liberos*. Sic *ædificare domum fratris*, Deut. 25. 9. eſt illius nomine *filios procreare*: ככה יעשה לאיש אשר לא יבנה את בית אחיו : Cachà jahasè leiſc, aſcèr lo ibnè, eth beth achiù : *Sic fiet homini, qui non ædificaverit domum fratris ſui* : Ideſt, *qui noluerit defuncto fratri, ex relicta ipſius conjuge, filios procreare*. Sic 3. Reg. 11. 38. dicit Deus Jeroboamo ובניתי לך בית נאמן כאשר בניתי לדוד Ubanìthi lechà baith neemàn, caaſcèr banìthi ledavìd : *Et ædificabo tibi domum fidelem, ſicut ædificavi Davidi* : ideſt, *Tibi, ſicut Davidi, manſuram ſobolem ſuſcitabo*. Quo reſpiciens Hieronymus : [1] *Diligenter nota*, inquit, *quod procreatio filiorum in Hebræo ædificatio ſcripta eſt*. Quem verò uſum habet in ſcripturis verbum בנה banà per comparationem ad familiam, eundem habet, proportione ſervata, per comparationem ad civitatem, ſive rempublicam. Itaque Gaſpar Sanctius, in cap. 12. Jeremiæ, ea exponens verba v. 16. ונבנו בתוך עמי venibnù betòch hammì : *Et ædificabuntur in medio populi mei* (quod finitimis

D 2 Ju-

[1] *Quæſt. Hebr. in Geneſ. cap. 16.*

Digitized by Google

Judæorum populis promittitur, ſi ad veri Dei cultum convertantur) obſervat, *Ædificare idem eſſe*, [hoc loco] *quod vivere*, *& ſtabile domicilium habere inter alios*. Sic Iſaiæ 44. 26. dicitur: האמר לירושלם תושב ולערי יהודה תבנינה haomèr liruſcalàim tuſcàb, ulharè, Jehudà tibbanèna. *Qui dico Jeruſalem habitaberis*, *& civitatibus Juda ædificabimini*: ubi Civitatem *habitari*, *& ædificari* a propheta, ut patet, pro eodem accipitur. Et rurſus 58. 12. ובנו ממך חרבות עולם מוסדי דור ודור ubànu mimmechà chorbòth holàm: moſedè dor vadòr: *Ædificabuntur in te deſerta ſeculorum*: *fundamenta generationis*, *& generationis ſuſcitabis*. Cum enim dicendum videretur, *frequentabuntur*, ſive *populo complebuntur deſerta*; quid eſt, quod dixerit *ædificabuntur*; niſi quia *ædificare* pro *frequentare*, ſive *populo complere* uſurpavit? Similiter Jerem. 24. 6. והשבתים על הארץ הזאת ובניתים ולא אהרס vahaſcibotìm hal haàrets hazzòth, ubnitim, velo eheròs. *Et reducam eos in terram hanc*, *& ædificabo eos*, *& non deſtruam*. Et rurſus 42. 10. ובניתי אתכם ולא אהרס ונטעתי אתכם ולא אתוש Ubanìti etchèm, velò eheròs, venatàhti etchèm, velò ettòſc. *Et Ædificabo vos*, *& non deſtruam*, *& plantabo*, *& non evel-*

evellam. Et cap. 31. 4. de liberatione à captivitate manifeſtè differens : עוד אבנך ונבנית בתולת ישראל hod ebnèch venibnèth betulàt Iſraèl. *Rurſumque ædificabo te, & ædificaberis Virgo Iſrael*. At quomodo virgo, ideſt, populus Iſrael ædificabitur? חנני מביא אתם מארץ צפון וקבצתים מירכתי ארץ hinenì mebì othàm meèrets tſaphòn vekibbatſtìm mijarchetè àrets. *Ecce ego*, ſubiicit v.8. *Adducam eos de terra aquilonis* (in qua captivi degebant) *& congregabo eos ab extremis terræ*. Et rurſus 33. 7. והשבתי את שבות יהודה ואת שבות ישראל ובנתים כבראשנה vehaſcibòthi eth ſcebùth Jehudà, veeth ſcebùth, Iſraèl, ubnithim cebariſconà. *Et convertam converſionem Juda, & converſionem Iſrael* [ideſt, reducam captivitatem Juda, & captivitatem Iſrael] *& ædificabo eos ſicut à principio*. Eodemque ſenſu Pſalm. 147. 2. בונה ירושלם יהוה נדחי ישראל יכנס Bonè jeruſcalàim Adonài nidchè Iſraèl jecannès. *Ædificans Jeruſalem Dominus, diſperſiones Iſraelis congregabit*.

16. Congruit Arabicum idioma, in in quo Civitatem *habitari*, *& ædificari*, & pro eodem ſumitur, & eadem exprimitur radice عمر hamàr. Itaque textum Iſaiæ 44. 26.

حمر hamàr tranſlata ſit. Quemadmodum enim ex pluribus, in unum coactis, ſpicis *manipulus*; ſimiliter ex pluribus, in unum coaleſcentibus, hominibus *Civitas* conſurgit.

17. Quæ nam, amabo, ſive Textibus hactenus alligatis exceptio, ſive argumento, quod ex illis pro ſententia Authoris eruitur, violentia opponi poteſt? Porro ſi nulla, vel in eo, quod ad Hebraicum Textum Author recurrit, vel in eo, quod *Jeruſalem ædificare* idem eſſe ait, ac *Judaicam remp. & πολιτέιαν reſtitutis civibus, ac legibus reſtituere*, violentia deprehenditur; cum his duobus unicè Authoris propoſitio, atque expoſitio innitatur; reliquum videtur, ut eum non *diſſecuiſſe*, ſed *diſſolviſſe* nodum Anonymus fateatur.

18. Quod ſtatuit vocem illam: *Ab exitu ſermonis*, rei complementum, ſive perfectionem ſignificare, in primis Hebraico Textui, atque contextui, deinde Syriacæ, & Arabicæ verſioni, ac Interpretum pleriſque apertè repugnat. Hebraico Textui quidem, nam vox hæc מצא motsà, quàm vulgatus *exitum* vertit, quindecim vicibus [extra hunc, quem diſcutimus locum] in numero ſingulari, & decem vici-

cibus in plurali reperitur in Bibliis: ſemper autem *egreſſum*, ſive *exortum*, numquam *finem*, ſeu *complementum* ſignificat, ut perpendenti Textus [1] patebit. Accedit contextus, nam Gabriel ipſe in eodem capite 9. paulo ante, ideſt, v.23. dum alloqui Danielem incipit, verbum יצא Jatsà, ex quo nomen מצא motsà deſcendit, in eodem adhibet ſenſu, quem propugnamus. *Ab exordio precum tuarum*, inquit, יצא דבר Jatsà dabàr: *egreſſus eſt ſermo*: Sic enim vulgatus vertit. Nec verò aliam, hoc loco, ſignificationem verba illa recipiunt. Si ergo, יצא דבר, Jatsà dabàr, v.23. Danieli ſignificat, *Egreſſus eſt ſermo*; מצא דבר, motsà dabàr v.25. *Egreſſum Sermonis* [cum nulla ſubſit ratio ſignificationis variandæ] eidem prophetæ ſignificare quis dubitet? Itaque Syrus vertit ܡܢ ܡܦܩܢܐ ܕܡܠܬܐ men maphkòno dmèlto: *Ab egreſſu verbi*. Arabicus من مخرج القول men machràg Alcaul:

[1] *Num.* 30.13. *Deuter.* 8.3. 23.23. 2.*Paralip.* 32.30. *Job.* 28.1. 38.27. *Jerem.* 17.16. 3. *Reg.* 10.28. 2. *Paralip.* 1.16. *Pſal.* 89.35. *Iſai.* 58.11. *Pſal.* 75.7. 2. *Reg.* 3.25. *Pſalm.* 19 7. *Hoſe.* 6.3. *Pſalm.* 65.9. *Ezech.* 44.5. *Pſal.* 107.33. *Ezech.* 12.4. *Pſal.* 107.35. *Iſai.* 41.18. *Ezech.* 43.11. *Num.* 33.2. *Num.* 33.2. *Ezech.* 42.11.

Digitized by Google

caul; *Ab egreſſu ſermonis* Rabbi Saadia Gaòn משיצא הדיבור: miſcejetsè haddibùr: *Ex quo exibit ſermo*. Tertullianus (a) *A profectione ſermonis*. Clarius: *A principio executionis*. Eodemque ſenſu vocem illam, *Ab exitu*, Theodoretus Hugo Cardinalis, Lyranus, Benedictus Pererius, Gaſpar Sanctiùs, Cornelius à Lapide, Menochius in Danielem. S.Antonius, [b] Galatinus, [c] Lucidus, [d] Daniel Huetius, [e] Salmeron in prolegom.43. ac cæteri fere omnes expoſitores interpretantur.

19. Quod ſi מצא motsà *complementum* ſignificare 70. Interpretes arbitrati fuiſſent, pro eo, quod reddunt, *ἀπὸ ἐξόδου λόγου*, profectò, ſive *ἀπὸ πληρώσεως λόγου*, ſive quid aliud, hujus ſimile, juxta Græci ſermonis indolem, reddidiſſent. Et vulgatus Interpres pro eo, quod, *Ab exitu ſermonis* vertit, *A completo ſermone* vertere debuiſſet.

20. Denique ſi *complementum* deſignare hoc loco Gabriel voluiſſet, credibile admodum, atque Hebraico idiomati conſentaneum eſt, aliam eum vocem, ſive ra-

[a] *Contra Judæos cap.*8. [b] *In Chron.*1.*p. tit.*3.*c.*8.
[c] *Lib.*4. *c.*14. [d] *De emend. temp. lib.*7. *c.*3.
[e] *Demonſt.*3. *Evang. prop.*9. *c.*8. *n.*9.

Digitized by Google

dicem uſurpaturum fuiſſe, ut מלא malè, vel כלה calà: שלם ſcalàm, vel סוף ſuph (quæ omnia complementum, finem, perfectionem ſignificant) atque dicturum v. g. מהתמלא דבר, mehithmallè dabàr, vel מכלות, משלום מסוף דבר: miccelòth, miſſcelòm, miſsòph dabàr: quos dicendi modos, cum verbi, ſive ſermonis complementum ſignificat, Scriptura uſurpat. Sic 2. Paralip. 36. 21. dicit: למלאת דבר יהוה: lemallòth debàr Adonài. 1. Eſd. 1. 1. לכלות דבר יהוה: liclòth debàr Adonài: *Ad perficiendum verba Domini*. Iſai. 44. 28. וכל חפצי ישלים: vechòl chephtsì iaſclìm: *Et omnem voluntatem meam complebit*. Dan. 4. 30. מלתא ספת על נבוכדנצר: millethà ſaphat hal nebucadnetsàr: *Sermo completus eſt ſuper Nabuchodonoſor*. Eccleſiaſtæ 11. 13. סוף דבר הכל נשמע ſoph dabàr haccòl niſmàh: *Finis verbi omnis auditus eſt*. Cum ergo nullum ex prædictis modis, in Scriptura uſitatis, adhibuerit Gabriel, cum dixit: מן מצא דבר: min motsà dabàr: *complementum* ſermonis ſignificare eum nullo modo voluiſſe credendum eſt.

21. Quod aſſumit, annum Artaxerxis ſeptimum à morte Xerxis, eundem eſſe cum vigeſimo ejuſdem principis cum patre re-

regnantis, nullo profanæ hiſtoriæ monumento innititur. Quod enim ad legem Perſarum attinet, qua cautum ait, ut rex, antequam è Perſide in expeditionem diſcederet, regni conſortem, & hæredem deſignaret; Xerxem proinde, antequam in Europam adverſus Græcos tranſiret, debuiſſe collegam imperii unum è filiis eligere; reſpondetur hæredem regni deſignare, & regni conſortem aſciſcere [quæ duo ab Anonymo pro eodem ſumi videntur] eſſe omnino diverſa, ut rectè advertit Daniel Huetius hoc ipſum, quod improbamus, Artaxerxis principium, ſive Epocham improbans [1] Primum lege Perſarum cautum erat, non verò ſecundum: Herodotus, enim, qui pro hac lege citatur, initio libri 7. Sic habet. στελλομένου δὲ Δαρείου ἐπ' αἴγυπτον, καὶ ἀθήνας τῶν παίδων αὐτοῦ στάσις ἐγένετο περὶ τῆς ἡγεμονίας, ὡς δεῖ μιν ἀποδέξαντα βασιλῆα κατὰ τῶν περσέων νόμον οὕτω στρατεύεσθαι idest, *expeditionem verò ſuſcipiente Dario adverſus Aegyptum, & Athenas, inter filios ipſius de principatu eſt orta contentio: quoniam oportebat ipſum, ubi regem deſignaſſet, juxta legem Perſarum;* E 2 *ita*

[a] *Demonſt. Evang. prop. 9. c. 8.*

ita demum ad bellum proficiſci. Non dicit, Herodotus ubi regni conſortem aſciviſſet, ſed ubi regem deſignaſſet, ἀποδέξαντα. Ita nempe reges apud Perſas, quomodo Conſules apud Romanos, in futurum deſignabantur; ut quemadmodum Conſuli deſignato magiſtratus, ita regi deſignato imperium ſequenti tempore gerendum promitteretur. E republica nimirum pariter, & è regia erat dignitate, ut rex expeditionem ſuſcepturus Hæredem regni, & ſucceſſorem deſignaret. Id ergo fuit lege præcipiendum. Non verò, ut regni conſortem aſciſceret, quod & optimum reip. regimen, ideſt, Monarchiam tolleret, & regis poteſtatem diminueret. Imò verò de medio tolleret. Nam ſi in regni paterni conſortium filius aſſumatur; [cum orientis aſtri, quàm occidentis fulgor oculos vehementiùs perſtringat;] patris poteſtatem non æquabit modò, ſed ſuperabit. Pro ſuſcepta itaque expeditione, & adito, reip. cauſa, vitæ diſcrimine, rex egregiam nimirum mercedem reciperet, ut redux imperio ſe abdicare, & regnum exuere cogeretur.

22. Quod ſi ſucceſſorem deſignare idem eſſet, ac regni conſortem aſciſcere;

Xer-

Digitized by Google

Xerxes, qui anno à pugna Marathonia tertio, regni autem Darii patris trigeſimo quinto, per occaſionem expeditionis adverſus Ægyptum, & Græciam à Dario ipſo ſuſceptæ, ſucceſſor eſt deſignatus [ut idem Herodotus initio ejuſdem libri 7. tradit] Xerxes, inquam, in regni ſocietatem à patre aſſumptus, & annis duobus una cum ipſo [cui anni 36. imputantur] regnaſſe dicendus eſſet. Additiſque annis 21. quos regnavit à morte patris [nam vigeſimumprimum licet non expleverit, inchoavit] Xerxi eſſent tribuendi anni 23. Cum tamen Hiſtoricorum nullus, ſive à patre Dario in regni ſocietatem aſſumptum Xerxem fuiſſe, ſive annos 23. regnaſſe tradiderit. Jam ſi Xerxem, quem regni hæredem, & ſucceſſorem à Dario deſignatum ex Herodoto conſtat; in regni ſocietatem aſcitum fuiſſe nullus dixit hiſtoricorum; quantò minùs dicendum erit, in regni ſocietatem aſcitum fuiſſe Artaxerxem, de cujus deſignatione non conſtat. Nam nec Herodotus, nec alius Perſicæ hiſtoriæ ſcriptor illam memoriæ prodidit. Quare tanto magis mirum videtur, eam Artaxerxis aſſociationem ab Anonymo, ut certam aſſumi, & confirmari,

Digitized by Google

ex eo, quod patri ſucceſſerit. Artaxerxes enim patri ſucceſſit, poſtquam Xerxes pater; & Darius frater ab Artabano interfecti ſunt. Potuit ergo & Darius, ſi viveret, patri ſuccedere, præſertim natu major. Hanc porro Artaxerxis Epocham ab aſſociatione deſumptam rejecit Author *in lib. de Hebdomadis cap.5. & 6.* pluribus argumentis, præſertim verò ex Authorum diſcrepantia in illa ſtatuenda: dum unuſquiſque pro annorum numero, quibus indiget, paucioribus, vel pluribus annis priorem morte Xerxis, ad arbitrium, illam conſtituit. Quæ quidem diſcrepantia etiam inter Abramum, & Anonymum intercedit, ut ex dictis compertum eſt. Quod ſi Artaxerxem in regni ſocietatem à Xerxe aſſumptum fuiſſe aliquando, probari ex profana hiſtoria non poteſt; conſequenter probari non poteſt anno Xerxis ſeptimo, ut Anonymus contendit, aſſumptum fuiſſe. Verùm age, utrumque ex profana hiſtoria probatum demus; quomodo ex ſacra probabitur, ſeptimum, & vigeſimum Artaxerxis annum ab alia, atque alia Epocha, & ſeptimum quidem à morte Xerxis, vigeſimum verò ab aſſociatione eſſe derivandum?

23.

Digitized by Google

23. Quod enim ad probandum aſſumunt, Abramus quidem Nehemiam in Judæam prius veniſſe, quàm Eſdram: Anonymus verò utrumque ſimul veniſſe, quàm ſit abſurdum, & à recta ratione Scripturas exponendi alienum, nemo non videt. Etenim Scriptura dicit, Eſdram in Judæam veniſſe anno Artaxerxis ſeptimo, Nehemiam anno vigeſimo. Cum ergo annus ſeptimus ſit prior vigeſimo, & duplicis Epochæ regis ejuſdem, ex qua præſumptam anni duplicis identitatem Anonymus ducit, nullum in ſacris literis veſtigium appareat; ut Scriptura rite, & ſine violentia exponatur dicendum eſt, Eſdram veniſſe prius, Nehemiam poſterius: & quidem priùs atque poſteriùs totis annis 13. Sed fac duplicis hujus Epochæ veſtigium in ſacris literis aliquod apparere; quid eſt, quòd annus ſeptimus à morte Xerxis, vigeſimus ab aſſociatione; non verò ab eadem potius Epocha uterque derivetur? Niſi quia, quæ ab anno vigeſimo Hebdomadas orditur ſententia aliter conſiſtere, & numerum anno 490. implere non poteſt?

24. Quod ſi quæ in contrarium difficultates apparebant, ſolvere illas oportuit; ne ex eo, quod apparet, in dubium vo-

vocaretur quod certum eſt, ſed potius ex eo, quod certum eſt, id quod apparet removetur. Neque verò difficultates hujuſmodi (quas veriùs conjecturas dixeris) multum urgent. Prima enim ſolvitur dicendo, cum Cornelio à Lapide, Gaſpare Sanctio, & aliis, preſſuram, & afflictionem filiorum Iſrael verbis illis expreſſam 2. Eſd.1. *Qui remanſerunt, & relicti ſunt de captivitate ibi in provincia in afflictione magna ſunt, & in opprobrio: & murus Jeruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni*, non à Perſis factam, ſed à Samaritis, aliiſque hoſtibus Judæorum, quibus reſtauratio Jeruſalem, à Perſis permiſſa, diſplicebat. His porrò ab hoſtibus quàm multa, & quàm ſæpe Judæi de captivitate reduces paſſi fuerint, ex utroque libro Eſdræ compertum eſt. Nam & inchoatum ſub Cyro Templi ædificium intermittere illos oportuit in regno Cambyſis, uſque ad annum ſecundum Darii Hyſtaſpis. *Et abierunt* (inquit Scriptura 1. Eſd.4. 23.) *feſtini* (hoſtes Judæorum) *in Jeruſalem ad Judæos, & prohibuerunt eos in brachio, & robore. Tunc intermiſſum eſt opus domus Domini in Jeruſalem, & non fiebat uſque ad annum ſecundum regni Darii regis Perſarum:*

&

& muros Jeruſalem non niſi armata manu ædificare potuerunt: de ædificantibus enim dicitur 2. Eſd. 4. 17. quod unuſquiſque *Una manu ſua faciebat opus, & altera tenebat gladium*. Memorata igitur Judæorum calamitas, quam in annum Artaxerxis vigeſimum Scriptura confert, minimè nos adigit, ut rationem fingamus, cur Eſdras derepente gratiam, & authoritatem, quam apud regem Perſarum, ejuſque ſatrapas, & conſiliarios ab anno ſeptimo floruerat, ante Nehemiæ adventum amiſerit.

25. Ad ſecundam negat Author *ſepem dare* in loco de quo agitur, idem eſſe ac *muro circumdare*. Atque id quidem ex contextu colligitur. Beneficium enim, cujus eo loco Scriptura meminit, à rege Perſarum Judæis collatum, non ſolam Jeruſalem, ſed totam Judæam ſpectat. *Inclinavit ſuper nos*, inquit, 1. Eſd. 9. 9. *miſericordiam coram rege Perſarum &c. ut daret nobis ſepem in Juda, & Jeruſalem*. Itaque *ſepis* nomine aliquid intelligendum eſt huic urbi cum tota Judæa commune, quale eſt *tutela*, & *protectio* regia. Qua ratione tutela, & protectio divina ſepis nomine appellatur Iſaiæ 5. 5. cum dicitur, *Et nunc oſtendam vobis, quid ego faciam vineæ meæ*,

F idest,

[ideſt, domui Iſrael, nam *Vinea domini Sabaoth*, ut ſubjicit v.7. *domus Iſrael eſt*] *auferam ſepem ejus, & erit in direptionem*. Atque hoc ſenſu *ſepem dare* Cornelius memoratus exponit. Quod ſi de muro Jeruſalem, à Nehemia exædificato, Eſdras loqueretur hoc loco, ubi Dei beneficia, etiam ſervitutis tempore filiis Iſrael collata magnificat; non committeret profectò, ut mœnia civitatis, tanto impendio, & labore, atque adeò armata manu contra hoſtes operi adverſantes perfecta, ſepem vocaret, [quam *Si aſcenderit vulpes tranſiliet*, ut Tobias hoſtis Judæorum illis exprobrat 2. Eſd. 4. 3.] ſed vel ſplendidius vocabulum adhiberet, vel certè vocabulum proprium, ut facit Scriptura 2. Eſd. 6. 15. dum ait: *Completus eſt autem murus quinquaginta duobus diebus*. Et Eccleſiaſtici 49. v.15. ubi de Nehemia dicit: *Qui erexit nobis muros everſos*. Huc accedit, quod muros Jeruſalem, à Chaldæis everſos, ſub regibus Perſarum, rudi ſaltem opere fuiſſe ædificatos colligitur tum ex accuſatione, quam hoſtes Judæorum 1. Eſd. 4. 12. contra Judæos ſcribunt ad regem Perſarum: *Notum ſit regi*, inquiunt, *quia Judæi, qui aſcenderunt à te ad nos venerunt in Jeruſalem*,

Digitized by Google

ſalem, civitatem rebellem, & peſſimam, quam ædificant, extruentes muros ejus, & parietes componentes; tum ex allatis, paulò ante, Scripturæ verbis 2. Eſd. 1. *Murus Jeruſalem diſſipatus eſt, & portæ ejus combuſtæ ſunt igni*. Hæc enim diſſipatio, atque combuſtio recens eſt, & tempore Artaxerxis Longimani facta, ut cenſent Saliamus [1], Dererius [2], Gaſpar Sanctius, Cornelius à Lapide, Menochius, Eſtius, Nicolaus Lombardus, atque alii plures hìc; facta eſt autem à Samaritis, ut oſtendimus paulò ante. Quare, cum murum Jeruſalem ante Nehemiæ adventum, ſaltem imperfectè, fuiſſe ædificatum colligatur ex dictis, neceſſe non eſt, etiam ſi *ſepis* nomine murus veniat, ut de muro, per Nehemiam extructo, Scriptura intelligatur.

26. Ad tertiam dicit, vetita connubia, Eſdræ authoritate diſſoluta; & ſi ab aliquibus Judæorum repetita ſint, in Eſdræ ipſius permiſſionem, ſeu conniventiam id refundendum non eſſe. Quis enim ſibi ſpondere potuiſſet, in re tam lubrica præſertim, fore, ut nemo ex tanta multitudine legem violaret? Nonne idolis immolare,

[1] *Ad annum Mundi* 3608. [b] *Lib.* 10. *ni Dan. ad ea verba*. Scito ergo.

quàm vetita inire connubia longè deterius eſt? Et tamen quàm ſæpe filii Iſrael, prophetarum minis ab idololatria revocati, ad idola iterum converſi ſunt. Eadem porro ad abuſus cæteros, & uſuras, quæ 2. Eſd.5. memorantur, eſt adhibenda reſponſio. Quod ſpectat ad feſtum Tabernaculorum, negat Author ex allatis Scripturæ verbis 2. Eſd.8. 14. *Et invenerunt ſcriptum in lege præcepiſſe Dominum in manu Moyſi, ut habitent filii Iſrael in tabernaculis, in die ſolemni, menſe ſeptimo*; rectè colligi, ejus feſti præceptum Judæis ignotum fuiſſe, quo tempore liber legis ab Eſdra, poſt Nehemiæ adventum, coram multitudine legebatur. Si enim Scriptura diceret: *Et invenerunt ſcriptum in lege, filios Iſrael exiſſe de Ægypto menſe primo, & ſicco veſtigio mare tranſiiſſe*; nunquid eſſet idcirco dicendum, hiſtoriam hujuſmodi fuiſſe, eo tempore, Judæis ignotam? Dum liber legis, poſt Nehemiæ adventum, ab Eſdra coram populo legeretur multa procul dubio occurriſſe dicenda ſunt, quæ audientibus nota erant. Quid eſt ergo, quòd de feſto Tabernaculorum, aliàs notiſſimo, præ cæteris Scriptura meminerit? Idcirco nimirum hujus præcepti

me-

Digitized by Google

meminit, quia lectio legis incidit in menſem ſeptimum, [ut dicitur initio ejuſdem octavi capitis] quo menſe feſtum Tabernaculorum celebrabatur. Itaque lectio illa opportunè populum admonuit, impulitque, ut majori apparatu, & ſolemnitate feſtum incidens celebraret. Quod & factum eſt, ut ibidem Scriptura teſtatur. *Non enim fecerant*, inquit v. 17. *à diebus Joſue filii Nun taliter filii Iſrael, uſque ad diem illum.* Denique etſi ex libro 1. & 2. Eſdræ dies, & circumſtantiæ diſceſſus, itineris, adventus Eſdræ, ac Nehemiæ, & utriuſque res geſtæ invicem conferantur, nihil amplius evincet; niſi in unum, & eundem annum utriuſque adventum incidiſſe oſtendat. Id quod nullo modo facit, & multo minus demonſtrat, ut receperat ſe facturum.

27. Nec ergo ex profanis literis, neque ex ſacris annum Artaxerxis ſeptimum, & vigeſimum unum, & eundem eſſe conficitur. Sed neque gemini hujus anni identitas ad initium Hebdomadum ſtatuendum facit. Quandoquidem cum anno ſeptimo prout à vigeſimo diſtinguitur, congruit tum chronologia [id quod Anonymus ipſe fatetur] tum *Exitus ſermonis, ut iterum*

rum ædificetur Jeruſalem, ut in præcedentibus oſtenſum eſt. Quorum cum neutrum congruat cum anno vigeſimo, conſequens eſt, ut gemini hujus anni identitas faciat ad initium Hebdomadum evertendum. Itaque Author ad hominem ſic concludit: In annum vigeſimum non quadrat initium Hebdomadum. Sed annus vigeſimus, juxta Anonymum, eſt idem cum ſeptimo. Ergo nec in ſeptimum quadrat. Quare anni utriuſque, quos tanta mole in unum cogere conatus eſt, commoda dum conjungit vir eruditus perdit. Ex quibus in utramque partem diſputatis utrum סחרה אמתו: ſocherà amittò *Scutum veritas ejus* intorta jacula ſatis retuderit, eruditorum judicium eſto.

FINIS.

Digitized by Google